

(2) Galat. 2. vers. 4. 5. hæc extat regula: Propter irreptitios fratres, qui ingresi ad explorandam libertatem nostram, quibus ne ad momentum cessimus, ut veritas Evangelij permaneret apud nos. Quando libertas non relinquitur in pijs Ceremonijs, conscientia operantur indigna servitute, & ita veritas Evangelij (quæ jubet ut libertas Christiana in usurum adiaphorarum illibata maneat) periclitatur.

(3) Apostoli in rebus adiaphoris non voluerunt cedere adversarijs: e. g. Circumcisio tempore Pauli erat res indifferens, & media, à Paulo liberè usurpata in gratiam infirmorum Judæorum, Act. 16. vers. 3, 1. Corinth. 7. v. 18. Galat. 6. vers. 15. At cum Adversarij urgerent Circumcisionem, ut rem necessariam, Paulus eam damnavit, docens, quod his prodesse non possit CHRISTUS, qui Circumcisionem suscipere, Galat. 5. vers. 2. Et ne ad momentum idem Paulus cedere voluit irreptitijs fratribus, Gal 2. Daniel ne quidem clavis fenestris precari voluit, ne vel tantillum concedere videretur adversarijs, Dan. 6. v. 10. Eleazarus adduci non potuit, ut vel simularet esum carnis Suillæ in gratiam Tyranni. 2. Macc. 6.

Obj. 1. *Quando cedimus in Ceremonijs, viam sternimus ad reconciliationem cum Adversarijs.*

Resp. 1. Hoc contra verbum Dei est. Gal. 2. v. 4. 5. Proinde non sunt facienda mala, ut eveniant bona. 2. Experientia docuit, Adversarios ejusmodi cessione factos esse ferociores, quantas enim turbas dedit liber interimistiens, Anno 1548.

Obj. 2. *Ceremonia illa, in quibus petitur cessio, non nisi traditiones humane sunt.*

Resp. Nil obstat, attendendum enim ad ea, quæ suprâ dicta sunt.

QVÆST. II.

An homo orthodoxus, sive habitans inter Pontificios, sive per ipsorum ditiones iter faciens, possit, debeatq; tempore ieiunii abstinere à carnibus, ne offendiculo sit Pontificiis?

Nihil